

CCCLXXI.

U. 258

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 316. f. per duas columnas luculente descriptus, minio enotatus, et olim, ut praefert, legatus a *M. Andrea de Weytra arcium ac sacre pagine professore et ad D. Stephani Can. ad Collegium B. M. V. rubee rose apud fratres predicatores in Vienna*, cujus fuerat *Superintendens*, exhibet *Gregorii M. Moraliū in Job Libros* priores XVIII. praecedente rite *Epistola ad Leandrum Ep.* cujus initium: *Dudum te frater beatissime &c.* Expositio ipsa incipit: *Inter multos sepe queritur &c.* ut edit. *Maur. Paris. 1705. T. I. col. 7. f.* cujus lectioni satis conspirat nostra. Ad calcem habetur *Registrum* duplex in univ. Opus, quorum unum de materiis in omnibus XXXV. *Libris* contentis alphabeticum, alterum chronologicum, quo sacro *Oratori Praedicabilia* tam de *Tempore*, quam de *Sanctis* per anni circulum indicantur. Haec *Registra* gaudent *Praefamine*, quod incipit: *Quoniam sumus in hoc mundo extensi sicut corde in cithara, ut ad manum summi artificis alter alteri sonet. Ecce frater karissime tetigit me altissimus tuis precibus assiduis, ut tibi sonarem. In hoc libello sono tibi tangens te velut aliam cordam ut sones alijs. Deponas iam tuas uoces querulas, quibus dicebas: moralia beati gregorij sunt prolixa, sunt difficilia, sunt ad habendum rara, non possum eis uti ad predicandum &c.* *Antiquae Moraliū*

Editiones v. g. *Romana 1475. f.* habent quidem *Indicum Praefamina*, sed nostrum istud, quod saltem *Sec. XIV.* videtur, nullibi reperi.

CCCLXXII.

U. 259

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 185. f. per duas columnas, alia quidem a praecedente, proba tamen manu exaratus, rubricis enotatus, et ab eodem *M. Andrea de Weytra* eidem *Collegio* suprema voluntate addictus inscribitur minio: *Incipit liber moralium beati gregorij decimus nonus Job 28. capitulo.* et inchoat: *Quid mirum si eterna dei sapientia &c.* Lectio a secunda manu castigata parum abit ab Edit. *suprac.* expendat tamen *Lector*, an finis Operis non habeat rectius in Codice: *lector meus in recompensatione uel reprehensione me superat, si sicut per me uerba accepit, pro me lacrimas reddat omnipotenti deo; quam in Edit. lector meus in recompensatione me superat, si cum per me uerba accipit, pro me lacrimas reddat.*

CCCLXXIII.

U. 260

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 242. f. per duas columnas, currente calamo exaratus, rubricis distinctus, et olim *Collegio ducali* donatus a *M. Haynico de Haslach Baccal. f. Theol. et canonico regulari O. S. Aug. ad sanctam Dorotheam in Vienna* ejusdem Operis *Libros XVI. priores*

res